



*To. 29.*





DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
TRANSMISSIONE  
FRVCTVVM FEVDALIVM  
IN HEREDES ALLODIALES,

---

QVAM  
CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
SVB PRAESIDIO  
D. IOH. WOLFGANGI TRIER,  
HERALDICAЕ P. P. IN ACAD. LIPS.  
A. ET R.  
CAROLVS AVGUSTVS REX,  
EQVES MISNICVS,  
IN AUDITORIO ICTORVM D. III. AVG. M DCC XIX.  
PUBLICO EXAMINI EXPOSVIT.



---

FRANCOE. ET LIPSIAE, REC. M DCC LI.

**KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE**

Fo 29



## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- I. *Definitio feudi, allodii et fructuum.*
- II. *Expositio argumenti, de quo agitur: item de fructibus, quos vasallus, durante suo dominio utili, percipit.*
- III. *De fructibus primi anni post obitum vasalli.*
- IV. *De fructibus naturalibus.*
- V. *De fructibus industrialibus.*
- VI. *De fructibus ciuilibus.*
- VII. *Questio: an simultanea investiti conuentione suo ac descendenti-*
- dentium masculorum nomine ini-  
ta, qua filiabus vasalli harumque  
descendentibus fructus feudi ma-  
sculini cesserunt, obligentur.
- VIII. *Affirmatur, si de prejudicio  
ipsorum promittentium agatur.*
- IX. X. *Negatur, si sermo sit de pre-  
judicio descendantium masculo-  
rum.*
- XI. *Consensus ICtorum.*
- XII. XIII. XIV. XV. *Responses  
ad argumenta dissentientium.*

### I.

BERTVS de Orto feudum dicit esse beneficium, quod ita datur, ut proprietas quidem rei penes dantem remaneat, ususfructus vero ad accipientem ejusque heredes pertineat, ad hoc vt fideliter domino serviat. 2. f. 23. in f. Hæc descriptio a reliquis juris feudalis consultis retenta est, qui omnes genus definiti, vti in scholis Philosophorum loquuntur, in dominio utili, seu qui hoc loco idem significat, in usufructu constituunt, differentiam specificam in fide. Cum vero omnis, quæ a ratione suscipitur institutio, debat a definitione proficiisci, ut constet, quæ sit propria natura ejus rei, de qua disceptandum sit,

A utque

utque errores ex incertis ac vagis animi sensis  
oriundi evitentur: necesse est, ut inquiratur  
ante, an definitio Oberti cum eo, quod defin-  
titur, consentanea sit, & quibus fundamentis ni-  
tatur. Manifestum autem esse puto, definitio-  
nem illam multo latius patere, quam feudum.  
Quamuis enim certissimum sit, feudum omne  
sub lege fidei concedi, hac tamen sola illud ab  
aliis bonorum generibus neutquam distingui-  
tur: quia nec bona immobilia, nec jura vni-  
versitatis aut civitatis fere cuiquam conferuntur,  
nisi ad fidem & obsequium, sub quo etiam com-  
prehenduntur servitia militaria, Wachen und  
Aufgebot, se adstringat. Neque aliud definitio-  
nis illius fundatum videtur, quam erronea  
origo nominis, quod compilatores juris Longo-  
bardici feudum a *fide dictum* opinarentur. Di-  
ctum potius est a Germanico *fede & ode*, quo-  
rum illo bellum, hoc bonum significatur, ut *fe-  
deode* seu *feode* sit bonum bellicum militibus loco  
stipendi concessum: unde in antiquis diploma-  
tibus *feodium* scribitur, qui scribendi modus ad-  
huc hodie in lingua Gallica servatur. Melio-  
rem & cum rei ipsi tum origini nominis acco-  
modatiorem definitionem habebimus, si eam  
ex 2. f. 48. repetamus. Dicitur ibi, *feodium*  
*hereditarium*, licet propriam feudi naturam  
non

non habeat, censeri tamen jure feudi: additurque, quid sit illud jus feudi, ut nempe feudum hereditarium ex his caussis amittatur, ex quibus & verum feudum. Est igitur feudum res jure utilis dominii concessa, quæ ex caussis quibusdam, publica lege feudalí expressis amittitur, ex quibus alia bona amitti non solent. Allodium optime verbis non ajetibus describitur, ut si omne patrimonium, quod feudum non est. Dicitur ab *adel*, quod antiquum, avitum & hereditarium denotat, & *ode*, contracta prima syllaba extrusoque *de*, uti in *feode*. Quid sit heres feudalís, quid allodialis in promptu est: ille nimirum succedit in feudo, hic in allodio. Fruetuum nomine in hac dissertatione intelliguntur omnes utilitates, quas dominus utilis seu vasallus aut ex dispositione juris feudalís aut ex conventione cum seniore inita percipit.

## II.

Propositorum mihi est, inquirere, quo usque vasallo fructus feudi in heredes allodiales transmittere liceat. In qua disceptatione tria genera fructuum discerni oportet, nempe primum eos, quos ipse vasallus aut percepit, aut, durante dominio suo utili, percepturus est, deinde qui mox ab illius obitu nascuntur, deni-

A 2

que

que qui in sequentibus temporibus sunt nasci-  
turi. Quid in postremo genere juris sit, valde  
dubium est & controuersum, ac propterea ope-  
rosius hac exercitatione investigandum. Circa  
medium genus itidem questiones nonnullae an-  
cipites obveniunt, sed quæ tamen minus diffi-  
culter explicari possint. De primo autem gene-  
re res est explorata & extra dissensum posita, fru-  
ctus, dum percipiuntur, naturam feudalem  
omnem exuere, atque allodiales fieri, valere etiam  
dispositionem vasalli de his, quos in posterum  
percepturus est, si vita ejus & dominium utile ad  
illud usque tempus duret, in quod disposuit.  
*BERLICH. P. 2. Concl. 31. n. 33. BERG. Elect. discept.*  
*for. t. 46. observ. 5.* Quare eos sine consensu senio-  
ris & agnatorum vel simultanee investitorum op-  
pignorare, in dotem & in solutum dare, permittare,  
vendere, ultimaque voluntate, in quem-  
cunque placuerit, tanquam verum allodium trans-  
ferre, vasallis omni jure feudali permittitur. Et  
quamvis in fructibus ultimi anni ob favorem  
agriculturæ successori feudalij jus protimeseos lo-  
cis nonnullis tribuatur: *BERLICH. P. 3. Conclus. 45.*  
*n. 4.* hoc tamen naturam eorum allodalem mi-  
nime infringit. Ceterum ea, quæ dixi, de feu-  
dis non regalibus capienda sunt: regalium vero  
feudorum fructus ad heredes allodiales non tran-  
seunt,

seunt, quia defunctus eos non ex causa privata,  
sed jure superioritatis territorialis percepit.  
SCHILTER. Exerc. ad ff. 4. coroll. 9.

## III.

Morte ius vasalli in feudum exspirat & in successores feudales transmittitur. Constitutum tamen est, ut certa pars fructuum primi anni post obitum vasalli ad heredes allodiales transiret, idque æquissima ratione. Nam quia fructus plerique non quotidie, sed interjectis certis mensibus aut annis, percipiuntur, maxime durum foret, heredes allodiales non esse participes emolumenterum illius temporis, quod, vasallo vivente nondum quidem cesserat, sed tamen cucurrerat, & defunctum adeo non sibi & heredibus laborem assumptus impendisse, sed alium in plenam messem agrorum mitti, quos alias conserverat: quamvis jure Romano in usufructu id non attentum esse videamus. §. 36. J. de R. D. Simplicissimum vero & naturali æquitati maxime consentaneum futurum erat, fructus pendentes omnes eorumque impensas pro rata temporis inter defuncti heredes & vasallos successores diuidi: HARTM. PIST. l. 1. quæst. 24. n. 42. TITII Lehn-Recht c. 26. §. 82. quod ipsum etiam jure Romano nonnullis casibus observatur. L. 7. §. 2. ff. soluto matrim. Atque

A 3

ita.

ita in caussis feudalibus etiam per terras Imperii  
sepius judicatum esse, testatur W E S E N B E C. Com-  
ment. ad d. t. ff. in f. BEVST. Tr. connub. part. 3. c. II.  
sub f. Sed jura Longobardica & Germanica plera-  
que a naturali illa aequitate divortium facientia  
effecerunt, ut argumentum hoc totum multis spi-  
niosis quæstionibus, quibus & schola & forum la-  
borat, oppleretur: uti fere semper evenit, ubi, nul-  
la necessitate cogente, a simplici ad id, quod multi-  
plex est, deflectitur, & nimium distinguendo res  
minus distincta & aptior confusione redditur. Jam-  
que igitur notanda est divisio fructuum in natura-  
les, industrielas & civiles, non exiguis illa quidem  
difficultatibus impedita, quia speciebus obvenien-  
tibus, non semper proclive est judicatu, ad quod  
nam ex tribus illis generibus quælibet sit referen-  
da: in primis cum fructus nonnulli in una provin-  
cia sponte, in alia vix multo labore proveniant,  
& quia sæpe fructus naturales atque industrielas  
in eodem solo conjuncti sunt, uti exemplo fru-  
ctuum, qui in hortis nascuntur, appareat. Inspi-  
ciendum etiam est & distinguendum, quid jura  
provincialia Germanica, ex quibus ego Saxonici  
potissimum rationem habebo, quidque jura Lon-  
gobardica de hac re constituerint.

## IV.

Fructus naturales, quos ipsa natura, acce-  
dente

dente aut nulla opera humana aut ita levi, ut a  
Prætore curanda non sit, ex rebus nostris produ-  
cit, ut sunt poma, cerasa, gramen, si nondum  
sint a solo separati, jure Saxon. Electorali cum  
ipso prædio, cuius pars esse videntur, L. 44. ff.  
*de rei vind.* ad successorem feudalem pertinent.

P. 2. Const. El. 32. ibique CARPZOV. Def. 23. sq. a  
Land-R. l. 2. art. 58. Extra Electoratum tamen  
in Saxonia Communi fructus omnes hortorum,  
etiam pomariorum, adhuc pendentes heredibus  
allodialibus cedere, si vasallus diem Urbani, qui  
est vigesimus quintus Maji, vivendo attigerit, a  
Land-R. d. art. 58. docent COLER. de Proc. exec.

P. 2. c. 3. n. 310. BERLICH. P. 3. Conclus. 45. n. 17.  
De piscibus, non qui custodiæ cauſa in piscina  
asservantur, hos enim allodiales esse nemo dubi-  
taverit, sed qui ideo stagnis immisſi sunt, ut ibi  
crescerent & genus propagarent, recepta hodie  
in foro Saxonico est opinio, si tempus mortis va-  
ſalli propinquius fuerit temporis piftationis, quam  
immissionis pifciū in stagnum, relinquendos  
eos esse heredibus allodialibus, alias successoribus  
feudalibus CARPZ. P. 3. C. 32. D. 26. Sed non de-  
ſunt quæpiam, quæ contra opinionem hanc mo-  
veri poſſint. Nam autoritate legum deſtituitur,  
quæ potius in Saxonia fructus pendentes natura-  
les, ad quos pifces illi omnino referendi ſunt, va-  
ſallo

sallo vel domino succedenti tribui volunt. d. C.  
El. 32. Deinde durum videtur, quod ita successor  
interdum usu stagni fere per octodecim menses,  
singulis enim trienniis piscatio institui solet, ca-  
rere cogatur. Denique quia piscatio ad certum  
diem non est adstricta, adeoque aliquando con-  
stare non potest, utrum ab ea obitus vasalli pro-  
pius an remotius absit, litigiis multis ac tricis fene-  
stra aperitur. Tales vero sententiae minime  
omnium sequendae sunt, in primis si sint exceptio-  
nes a lege generali constitutae, ut in hac nostra spe-  
cie, nam lex generalis in dubio omnia complecti-  
tur: L. 51. in f. ff. de adm. tut. & hic finis est omnium  
legum civilium, ut lites partium juxta ac arbitria  
judicium praecidantur, illasque, si clarae sint, nullo  
modo negligi oportet, licet æquitas aut vera aut  
cerebrina aliud omne svadeat. Quamobrem  
olim, non attento discrimine temporis, Facultas  
Jurid. Lipsiensis pisces successori feudali, H A R T M.  
P I S T. l. 1. qu. 24. n. 66. Scabinatus vero heredibus  
addixit: in quam posteriorem sententiam suo  
etiam tempore pronuntiatum esse, refert C O L E R.  
Decis. 286. n. 150. Pro rata temporis pisces divi-  
dendos esse censuit S C H R A D E R. de feud. part. 2.  
part. 9. seit. 3. n. 71. sqq. quæ sententia æquissima  
est, licet impugnetur ab H A R T M. P I S T. d. quest. 24.  
n. 83. sqq. Jus Longobardicum de fructibus omni-  
bus

bus tam naturalibus quam ceteris ita disponit:  
*Si Vasallus decebat sine herede masculo, & contingat  
 feudum ad dominum reverti, sic distinguitur: quod si  
 ante Martium, omnes fructus illius anni ex feudo pro-  
 venientes ad dominum pertinebunt. Si vero post Calen-  
 das Martii usque ad Augustum, omnes fructus, qui in-  
 terim percipiuntur, ad heredes Vasalli pertineant. Si  
 vero post Augustum, omnes fructus anni percipiet domi-  
 nus.* 2. f. 28. §. penult. Est hic unicus textus juris  
 Longobardici, ubi de fructibus feudi, si de iis  
 post mortem vasalli inter heredes feudales & allo-  
 diales lis oriatur, agitur: sed ita est obscurus, ut  
 magna sit de sensu ejus disceptatio. Nolo jam  
 aliorum opinione operose recensere, quas videre  
 licet apud GOTHOFRED. & BITSCH. ad d. §. pe-  
 nult. HARTM. PIST. de quæst. 24. BERLICH. de con-  
 clus. 43. Receptior sententia est, si vasallus moria-  
 tur Calendis Martii vel postea usque ad finem  
 Augusti, fructus, qui usque ad hunc terminum  
 proueniunt, deberi heredibus allodialibus, si ve-  
 ro Calendis Septembbris vel in sequenti tempore  
 usque ad finem Februarii decebat, omnes fructus  
 pendentes illius anni, qui secundum veterem  
 computationem Februario exeunte finit, suc-  
 cessoribus feudalibus deberi. Haec constitutio ad  
 clima moresque Germaniae commode applicari  
 non potest, neque proportionem juris servat,

B

cum

cum labor agriculturæ sub finem Februarii magna magna ex parte jam peractus sit, & vasallus paucis diebus ante vindemiam vel diem Martini, quo plerisque locis maxima pars censuum solvi solet, Land. R. l. 2. art. 58. mortuus uvas & census ad heredes allodiales non transmittat: id quod in primis in feudis, quorum præcipui redditus ex vineis colliguntur, eo durius videtur, quo maiorem operam vitium cultura exposcit. Quas ob cauſas constitutionem hanc absurdam vocat WESENBECK. ad Schneidev. §. 36. f. de R. D. litt. b. non satis æquam & rationabilem HARTM. PIST. d. quæſt. 24. ¶ 44.

## V.

Fructuum industrialium, qui ex rebus nostris non nisi accidente opera humana a natura producuntur, jure Longobardico, uti jam dixi, eadem est ratio, quæ naturalium: quia dispositio d. 2. f. 28. generalis est & de omnibus fructibus loquitur. Atque hoc jus commune circa fructus industriales in dubio etiam apud Saxones obſeruatur. Itaque si vasallus post Calendas Martias vita excederit, heredes allodiales lac, lanam, emolumenta ex iuribus braxandi, verandi, lapides fodiendi, & quæ sunt similia, lucrantur. Et hoc lucro non solum usque ad finem Augusti, sed usque ad finem Decembris seu totius anni potiuntur: BERLICH.

P. 3.

P. 3. Conclus. 43. n. 67. CARPZ. P. 3. Conf. 32. D. 9.  
 quæ res, nescio, quo ex errore originem trahat,  
 cum observantia hæc manifesto adversetur di-  
 spositioni expressæ juris Longobardici, d. 2. f. 28.  
*ibi: interim*, cumque Longobardi non inceperint  
 annum a calendis Januariis, sed a Calendis Mar-  
 tiis: quod inter populos Christianos illis seculis  
 moris fuisset, ex scriptoribus Chronologis con-  
 stat, & adhuc hodie moris est in Britannia. Mul-  
 ti etiam interpretes ex ipsis verbis textus nostri  
 observarunt, annum ibi non computari a Calen-  
 dis Januariis: quamvis nonnulli a Calendis Sep-  
 tembris computent. BERLICH. l. c. n. 28. De fru-  
 ctibus vero agrorum & vinearum jure Saxonico  
 aliud est constitutum. Nam fructus agrorum, si  
 semen, vivente vasallo, rastro subactum fuerit,  
 allodio cedunt. Land. R. l. 2. art. 58. P. 3. Conf.  
 El. 32. Idem jure Electorali dicendum de illis fru-  
 cticis hortensibus, qui culturam requirunt, ut  
 sunt rapæ, pastinacæ, lactucæ, legumina, si nem-  
 pe horti fossi ac seminati semenque rastro suba-  
 ctum fuerit. d. C. 32. In vineis respicitur jure  
 Saxonico utroque ad diem Urbani, quem si va-  
 sallus vivendo attigerit, vindemiam in heredes  
 allodiales transmittit: Land. R. art. 58. id quod in  
 Saxonia Ducali ad fructus omnes hortorum tam  
 naturales quam industrielles extendi, supra di-  
 etum.

Etum. Sed in Thuringia, quod ad vineas attinet, ultima cultura attenditur, die Rühr, quæ sequitur ligam racemorum, & circa initium Julii contin-  
git. CARPZ. P. 3. Conſt. 32. D. 9. in f. Si impensæ  
in culturam factæ ſint a defuncto, cuius tamen  
heredibus fructus non cedunt, illæ omnes his re-  
ſtitui debent: quo nomine eis jus retentionis &  
interdicta aliaque remedia competunt. CARPZ.  
P. 3. C. 32. D. 14. BERLICH. d. Conclus. 43. in f.

## VI.

Fructus ciuiles, hoc eſt, præſtationes ab ho-  
mine faciendæ, ſi dentur pro fructibus naturali-  
bus & industrialibus, quos natura ex feudo locato  
producit, eadem ratione diſtribuuntur inter here-  
des feudales & allodiales, qua iſpos fructus natura-  
les & industriales diſtribui ſupra dictum eſt. BER-  
LICH. P. Conclus. 44. n. 2. CARPZ. P. 3. Conſt. 16. D. 7.  
Sed decimæ, censuſ, annui redituſ, & quæ hiſ ſunt  
ſimilia, heredibus, allodialibus integra debentur,  
ſi dies vivente vasallo cefſerit: a L. 26. ff. de Uſufr.  
quod jure Saxonico ab illa etiam extenditur, quæ  
ab ejus obitu intra diem trigesimum peti potue-  
runt. a P. 3. Conſt. El. 32. Ampliatur id ulterius a  
doctoribus, ſi exigi potuerint paulo post trigesi-  
mum, exempli cauſa die Michaelis, cum vasallus  
mortuus fuerit die Bartholomæi, quia minima

Præ-

Prætor non curat. CARPZ. d. *Conſt. 32. D. 21.* Ve-  
rum huic ſententiæ ego quidem accedere dubi-  
tem. Primum enim ſine lege loqui erubescendum  
eft. Deinde Constitutio hæc Electoralis a Jure  
communi Saxonico exorbitat, v. COLER. *Decif.*  
*286. n. 122. ſeqq.* ideoque ultra verba expreſſa non  
debet extendi: inprimis cum in fructibus natu-  
ralibus pendentibus, cum quibus fructus civiles,  
quorum dies nondum cefſit, comparari commo-  
de poſſunt, triginta dierum ab obitu ratio non  
habeatur. Porro interpretationi extenſivæ tum  
minime locus eſſe potest, ſi ex ea lites & caſus pro  
amicis orientur: quos certe hinc oriri manife-  
ſtum eſt, quia, quid ſit illud paullo post trigesimum,  
non ſatis patet, & ob id ipsum a legiſlatoſe cer-  
tum tempus conſtitutum cenſeri debet, ut judi-  
cis arbitrium præſcindatur. Denique non per-  
ſpicio, cur non potius ſuccesſoribus feuſalibus  
fructus ciuiles, quorum dies paullo ante trige-  
ſimum cefſit, adjudicentur, cum eadem prorsus  
pro hiſ ratio militet, quod nempe minima a judi-  
ce non curentur. Neque enim in promptu eſt  
alia ratio, cur doctores ſuccesſoribus allodialibus  
ita faveant cum detriſmento proprietarii & alio-  
rum ſuccesſorum feuſalium, quod certe maniſto  
juri communi adverſatur, ex quo tamen illi ipſi  
Doctores jura provincialia reſtrigi volunt.

B 3

v. §. 36.

v. §. 36. *J. de R. D.* Taceo, evenire posse, ut tempus quidem sit modicum, sed summa fructuum minime modica. Extra Saxoniam in hoc etiam genere fructuum servatur constitutio Longobardica 2. f. 28. HARTM. PIST. l. i. quæst. 24. n. 60. Alii tamen iisque non pauci fructus civiles, quorum dies nondum cessit, pro rata temporis dividendos esse censem, cum extra Saxoniam, MOLIN. *Consuet. Paris.* t. I. §. 1. *glossa 8.* n. 35. STRUV. *Synt. Jur. Feud.* c. 15. §. 16. n. 7. tum in *Saxonia:* per P. 3. *Const. El.* 16. MOLLER. ad P. 3. C. 32. n. 5. RAUCHBAR. P. 2. qu. 22. n. 25. BERLICH. P. 3. *Conclus.* 44. n. 11. quorum sententia æquitati naturali conformis quidem nec forte constitutionibus Saxoniciis adversa est, sed in foro haud recepta. De fructibus jurisdictionis, ut si multa ex delicto solvenda, dubium est, an debeantur heredibus allodialibus vasalli, sub quo delictum fuit perpetratum. Affirmant id ROSENTH. *de feud.* cap. 10. *Concl.* 42. n. 64. sqq. BERLICH. P. 2. *Conclus.* 44. sub f. Negant GUIDO PAPÆ *Decis. Delph.* 335. REBUFF. in. L. 3. C. *de suscep.* Ego secundum principia juris Romani distinxerim, utrum lis cum defuncto Vasallo contestata, aut inquisitio, eo vivo, jam instituta fuerit, an non fuerit. Non posteriori, sed priori casu muletam commissam heredibus allodiali addixerim. Nam per litis contestationem aut,

quæ

quæ hujus instar est in inquisitionibus, per respon-  
sionem secundum placita Romanorum quasi con-  
trahitur, & jus exigendi actori aut judici inqui-  
renti acquiritur: modo reus postea in causa suc-  
cumbat. Atque uti hujus quasi contractus is est  
effectus, ut rei heredes obligentur, cum alias  
poena in eos non transeat: *L. 20. ff. de accus.* ita na-  
tura correlatorum postulat, ut pari ratione here-  
dibus actoris aut judicis jus exigendi ab illo tem-  
pore acquiratur. Non tamen inferior, diversum  
consuetudine recipi posse, ut nempe vel tempus  
delicti spectetur, quam esse communem opinio-  
nem, asserit *TIR AQUELL. de utroque retractu t. 2.*  
*§. 5. gl. 4. n. 19.* vel rei judicatae, quia antea mul-  
ctæ sunt instar fructuum pendentium. Poste-  
rius usu servatur in Academia Lipsiensi, ubi offi-  
ciales Academicci jurisdictionem habentes, si sub  
eorum magistratu delictum fuerit admissum, mul-  
ctis ante non potiuntur, quam aut reus decreto  
eorum acquieverit, aut sententia vim rei judica-  
tae naæta sit: id quod ad evitanda varia incom-  
moda, quæ alias ob munera semestria atque an-  
nua evenire poterant, receptum videtur.

## VII.

Placet hac exercitatione in primis excutere  
quaestionem, an simultaneæ investiti ex conven-  
tione

tione suo ac descendantium masculorum nomine sine consensu senioris inita, qua filiabus vassalli harumque descendantibus fructus feudi masculini cesserunt, obligentur. Quæ controversia quam sit anceps atque impedita, intelligent omnes, qui, quæ ab utraque parte stant, argumenta cum cura & cum judicio ponderarint. Horum enim tanta vis est ac robur, ut animus cogitando in diversa trahatur, nesciatque, utri parti in his difficultatibus assentiendum videatur. Est hæc jurisprudentiæ nostræ feudalis misera conditio, ut innumeræ quæstiones in legibus aut obscure admodum aut plane non sint decisæ, utque tum juris prudentes mirifice inter se dissentiant ac prælia misceant: in primis cum hæc lites sæpiissime ingenti animorum contentione de pinguis prædiis atque inter familias potentes agitantur, quarum favori a celeribus nonnullis juris feudalis interpretibus, ubi consulti fuerunt, interdum aliquid datum esse, facile negare non licebit. Ego, seposito omni partium studio, primum quid in hac quæstione considerandum sit, distincte evolvam: deinde sententiam, quæ mihi verior videtur, exponam, rationibusque ex jure feudali conquisitis firmabo: denique, ut spero, efficiam, ut argumenta dissentientium, quantumvis speciosa ac valida, concidant.

VIII.



## VIII.

Tres sunt, quorum in specie proposita præjudicium versatur: vasallus successor, qui cum priori vasallo pactum iniit, illius descendentes masculi, & ipse dominus directus. Facile concedo, quod supra jam concessi, posse vasallum perceptioni fructuum, quamdiu vixerit, valide renuntiare. Ut enim nemo aliis commodis suis renuntiare prohibetur, ita nec vasallus. Atque uti usufructuarius jus, quod habet, oppignorare, vendere aut gratis concedere potest, *L. 38. ff. de usufr. L. 11. §. 2. ff. de pign.* ita vasallo ea omnia permitta, nec ullo jure interdicta sunt.

## IX.

Verum quod ad descendentes attinet, constanter nego, posse jus percipiendi fructus in eorum præjudicium a patre cedi. Sicut enim usufructuarium in longius tempus, quam in dies viæ suæ, usumfructum extraneo cedens nihil agit, *§. 3. J. de usufr.* & ususfructus ita cessus respectu cessionarii non est verus ususfructus, morte demum hujus finiendus, sed quam primum cedens decesserit, ad dominum proprietatis reversurus est: *L. 66. ff. de jure dot. H V B E R. P r æ l. ad Inst. t. de usufr. §. 12.* ita idem fere de cessione dominii utilis seu juris commoditates ex feudo percipiendi

C

dicen-

dicendum existimo. Nam feuda ex pacto & providentia non in gratiam solorum primorum acquirentium sunt concessa, sed etiam descendentiis prospectum est, ut utriusque ad militiam atque alia ministeria obligati habeant, unde vivant & servitia praestent, utque eo majore fide salutem publicam promoveant, patriamque tueantur, quod eo ipso suam quoque utilitatem promoveant, propriosque agros adversus hostes defendant, Quam ob caussam in feudo ex pacto & providentia filii libere succedunt, nulla ordinatione patris valente: *i. f. 8. pr.* adeo ut hic ex feudo ne quidem unam candelam relinquere pro anima sua, *MATTH. de AFFL. ad 2. f. 55. n. 31.* multo minus illos, licet ingrati fuerint, imo licet ipse dominus in feudo antiquo consenserit, exheredare possit. *HORN. Jurispr. feud. c. 14. §. II.* Quemadmodum Colonellus, qui habet regimen hereditarium, suo quidem stipendio renuntiare potest, sed de stipendio a filiis merendo disponere nequit: ita nec pater fructus feudi in praewiculum filiorum alienare potest, ut his praeter serviendi gloriam nihil aliud commodi supervenit. Et quemadmodum pater nihil juris habet in peculium filiorum castrense, quod hi servitiis militaribus promeruerunt: ita multo minus juris habet in emolumenta feudi, quae sunt instar

instar stipendii, pertinentque ad peculium ca-  
strense a filiis promerendum. Quam ob caussam  
renovatio investituræ introducta est, ut senior,  
vasallo mortuo, cum illius filiis denuo contra-  
etum feudalem celebret, utque sibi ab iis fidem  
ac servitia stipuletur, & in horum compensatio-  
nem utilitates ex fundo percipiendas promittat.  
2. f. 23. in f. Atque hic est præcipiuus effectus in-  
vestituræ, ut ususfructus ad investitum *d. text.*  
hoc est, commodum ad eum, qui habiturus est  
onus, transeat. *L. 10. ff. d. R. J.*

## X.

Restat, ut etiam de præjudicio domini dire-  
cti dispiciamus. Concedunt facile omnes, pacti  
illius cum vasallo initi non eam esse vim, ut, suc-  
cessione ad simultanee investitum eiusque fami-  
liam delata, si hæc emortua fuerit, vel feudum  
felonia perpetrata commissum sit, aut si dominus  
ad inopiam redactus alimenta ex feudo sibi præ-  
stari velit, *S TRYK. Exerc. jur. feud. cap. 18. qu. 35.*  
pactum hoc in gratiam filiarum initum juri ejus  
obstet. Sed concedendum etiam est illud, ma-  
ximum esse domini præjudicium & beneficium  
concessum ei damnosum reddi, si familia vasalli  
successoris emolumentis feudi careat. Nam si  
vasalli nihil utilitatis ex feudis percipient, fit, ut

C 2

opi-

opibus exhaustantur, & seniorum suorum servitia subterfugiant, utilitasque reipublicæ minatur. 2. f. 52. & 55. Evenire ita potest, ut fructus feudi ad peregrinum nullo fidei & obsequii vinculo adstrictum perveniant, isque dominum impune negligat atque offendat, & ad offendendum opibus ex ipso feudo perceptis instructior fiat. Præterea, hoc pacto valente, filiis vasalli cedentis non licebit ad servitia domino præstanda quidquam sub hypotheca mutuo accipere, filios vero suos eo minus poterunt liberaliter educare & ad serviendum domino habiles reddere, quo majori onere prementur, si aliunde non satis suppetat, unde matrem viduam, cui dotalitium debebatur, & filias aut sorores, quibus alimenta & dos ex feudo debebantur, sustentare possint. Hæc incommoda ex cessione fructuum æque atque ex alienatione oriuntur: quare illa æque ac hæc interdicta censi debet, in primis cum Imperatores non solum alienationem, sed etiam omne commercium, ex quo incommoda illa proveniunt, expressis verbis interdixerint. dd. tt. CARPZ. *Disp. feud.* 7. th. 17. In nostra sane specie initum est commercium, quod re ipsa, licet jus personale tantummodo translatum videatur, ab alienatione non discrepat. Nam feudum contra omne jus feudale, ut  
pote

pote quo fœminæ feudum masculinum retinere non possunt, 2. f. 36. indirecte convertitur in fœminum, quia simultanee investitorum, imo ipsius domini, quod ad servitia attinet, idem est præjudicium, filiarum idem commodum, ut si in eas quocunque alio alienationis genere translatum, jusque succedendi eis tributum foret. At enimvero prohibitum una via, alia non debet esse permisum: L. 21. §. 1. ff. de tut. dat. C. 39. d. R. I. 6. in primis cum hoc modo monachus & quilibet aliis, qui servitiorum incapax est, feudum retinere possit. v. d. 2. f. 36. Quam ob causam contractus libellarius, hoc est, locatio in perpetuum inita, 2. f. 9. §. 1. nisi cum agnato, 1. f. 13. in f. nam tum est species refutationis, severre interdicitur. d. 2. f. 9. §. 1. Ob eas rationes nec in longum tempus, quod ex consuetudine provinciarum aliisque circumstantiis metiri judicis est, locatio permittitur, si nempe inde fiat, ut filiis agnatisve heredibus media ad servitiorum ex feudo præstationem necessaria subtrahantur. MYNSING. cent. 6. observ. 30. n. 1. ROSENTHAL. de feud. c. 9. conclus. 7. CRAG. Jur. feudal. l. 3. t. 3. §. 8. sub f. Imo dicendum potius, in locazione aut donatione commoditatum perpetua aut longi temporis jus in re transferri: nam ei, qui in longum tempus conduxit, actio in rem datur;

C 3

L. 1.

*L. 1. §. 3. ff. de superficie.* quæ utique ex dominio oritur, *L. 23. pr. ff. de R. V.* & qua posita, ponitur ipsum dominium, *STRU. Exerc. 30. §. 47.* nempe utile dominium. Plenum enim conductor non acquirit, *L. 1. §. 1. si ag. vestig.* ideoque jus locantis, finita locatione, conductorum expellendi saluum manet. *P. 2. El. C. 40.* Ceterum expressam hanc prohibitionem locationis in perpetuum initæ sedulo notandam puto. Est enim in specie nostra, si vasallus cedens summam certam quotannis a filiabus cessionariis stipulatus fuerit, revera inita in perpetuum locatio conductorum, qua dominium utile transferri, ipsis legibus Romanis constitutum est, *§. 3. J. de loc. cond. j. STRU. Ex. II. §. 53.* licet contractus in instrumento ita non fuerit appellatus. *J*Ctus enim magis, quid agatur, quam quid dicatur, considerat. Si vero merces vilis fuerit, aut plane nihil reservatum sit, res eo pejor est, magisque manifesta alienatio. *d. 2. f. 9. §. 1. ibi: sub vilissima pensione.*

## XI.

Ingens est multitudo *J*Ctorum, qui nobiscum quæstionem propositam negant: quorum si omnia testimonia adducere velimus, futurum est, ut hæc exercitatio consuetam dissertationis Academicæ formam amplitudine excedat. Sufficiet,

ficiet, adduxisse paucos ex juris interpretibus tam antiquis quam recentibus. BURCHARDUS *Episcopus Magdeburgensis*, qui allegatur in *Glossa ad Land-N. l. i. art. 9.* perfidum esse statuit vasallum, qui fructus feudi alii cesserit, hujusque possessionem percipiendi fructus injustam appellat. Wo einer dem andern seine unrechte Gewähr stärcket, also daß er das Gut in Gewähr hätte, und liesse er denn einen andern den Nutzen aufheben, wer das thut, der thut wider seine Treue und wider seine Ehre. In forma antiqua judiciorum feudalium, *Nicht-Steig Lehn-Rechts*, quae Friderico Barbarossa Imperatori adscribitur, idem confirmatur. *cap. 20.* Graviter Autor *Juris Feudalis Svevici*: *cap. 107.* Fährt der Main zu, und leyhet das Gut einem seiner Freunde, und bittet denselben, daß er das Gut sehe mit seiner Hand seiner Haussfrauen, oder einem andern seiner Freunde, das ist nicht recht, denn es ist Gefahrde. Et paullo post. Wer Gut also leyhet, der leyhet es wider Gott, und das Recht, und wider seine Treue: Denn so ein Herr ihm sein Gut leyhet, so schweret er ihm Treue und Wahrheit zu leisten, das hat er hiermit gebrochen, denn er leyhet nicht sein Gut weg, er leyhet seines Herrn Gut weg, oder eines andern, der nach ihm an das Gut kommt. Eadem ferre verba repetiit Feudista Saxo. *Lehn-N. c. 59.* & 60. MATTHÆUS de AFFLICTIS *ad f. 45. n. 16.* ait:

ait: non posse concedi a vasallo annuos fructus ultra ejus vitam, esse enim talem concessionem similem usufructui. L. 41. ff. de usufr. legato. Nec præjudicare vasallum hac concessione hereditibus, hosque ne ad pretium quidem a defuncto acceptum restituendum, nisi ex bonis burgen-saticis, hoc est, allodialibus, obligari, etiamsi feudum sit hereditarium. VULTEJUS *de feudis l. 1. cap. 10. n. 57.* feudum alienare & commoditates alienare unum idemque & utrumque æque prohibitum esse, agnoscit. BITSCHIUS *ad 2. f. 55. p. 687.* nec commoditatem percipiendi fructus nec usumfructum cedi posse, nobiscum statuit, esse enim etiam illam usumfructum. STRUVIUS *Synt. jur. feud. cap. 12. §. 7. n. 2.* probat, non ulterius valere dispositionem de fructibus & commodis ex feudo percipiendis, quam quoisque vivit vasallus, qui jus circa fructus alteri conces-sit. Imo HUNNIUS *tract. feud. p. 339.* fructus feudi seu commoditatem percipiendi fructus ne quidem ad dies vitaæ alienari posse existimat: fructibus enim feudi alienatis, deficere finem feudi, & feudum ipsum alienatum censeri. Sed piget ulterius cumulare testimonia de re, quam tot legibus, tot rationibus planam fecimus, hisque illi fidem ac firmamentum adjunximus. Si quis est, qui nominibus doctorum plus moveatur, quam

quam ipsis legibus, multo illorum plures allegatos reperiet apud VULTEJ. *de feud. l. 1.*  
*c. 10. n. 57.*

## XII.

His omnibus non obstantibus, nonnulli JCTi contrariam sententiam sunt amplexi, quorum ad argumenta breviter ac modeste respondebo. Principio promissum simultanee investiti, qui fructus cessit, servandum esse ajunt. Servandum & ego dixi in præjudicium promittentis. Sed nego, filios obligari, si pactum patris juris dispositioni aut rationi aduersetur: quibus illud pactum, de quo hic disceptatur, revera adversari, supra satis ostensum fuit. Juri enim publico pactis privatorum derogari nullo modo potest: *L. 38. ff. de paſt.* & tales conventiones inutiles sunt atque infectæ habentur. *L. 5. C. de legibus.* Neque dici potest, exceptionem filiorum esse de jure tertii, & Principis esse aut Reipublicæ jura sua defendere: nam jus Principis publicum hac in causa juri filiorum privato arctissime est innoxum, & ex eo ipso ille laeditur, quod hi fuerint laesi, uti superius, ubi de præjudicio filiorum differui, probatum fuit. Quamvis vero filius cum patre eadem persona habeatur: fictio tamen hæc est strictissimæ interpretationis, uti omnes fictiones, neque regulariter in feudis, si agatur

D

de

de filiis obligandis, locum habet. *i. f. 8. pr.* Quamvis etiam filius debita paterna agnoscere debeat, nec feudum ab allodio separare possit: id tamen speciale est, & ideo constitutum, ne pater debitor post mortem, quasi decoctor bonorum, ignominia afficiatur, & creditores, qui patrem in necessitatibus juverunt, defraudentur. *Ref. Grav. de A. 1661. §. 71. v. Wann er dant.* Sed extra casum debiti firma stat lex, nullam ordinationem patris in feudo manere, sed morte ejus concidere, si filiis inde damnum inferatur. *d. i. f. 8. pr.*

### XIII.

Validissimum argumentum, quo dissentientes opinionem suam tuentur, illud videri poterat, quod a subinfeudatione petitum est. Nam si vasallo permisum est, utile dominium sine consensu senioris in extraneum transferre, permisum etiam videtur, jus percipiendi fructus extraneo cedere. Est autem quæstio hæc, quo usque vasallus feudum alii in subfeudum concedere possit, adeo ambigua & implicita, ut, quid in tanto dissensi doctorum dicendum sit, anceps cogitandi cura animum subeat. Communior est opinio, subinfeudationem non solum partis, sed etiam totius feudi permissam esse. *STRU. Synt. jur. feud. c. 12. §. 9. STRYK. Exam. jur. feud. c. 19.*

*quest.*

quæst. 23. & 25. HORN. *Jurispr. feud. c. 19. §. 12.* Alii  
 partem tantum subinfeudari posse statuunt 2. f.  
 73. Alii contra utrumque interdictum esse con-  
 tendunt, cum negari non possit, esse hic revera  
 & in effectu alienationem dominii utilis vasallo  
 immediato concessi. CURT. JUNIOR. *tract. feud.*  
*part. 4. n. 83.* JULIUS CLARVS *recept. sentent. l. 4.*  
 §. *feudum qu. 32. n. 1.* HOTOMANN. *Disp. de jur.*  
*feud. cap. 37.* Multæ vero & graves rationes po-  
 stremæ huic opinioni favere videntur: & quam-  
 vis communem sententiam a tot celeberrimis  
 harum terrarum JCtis ob merita in jurispru-  
 dentiam sua maxime venerandis propugnatam  
 improbare non ausim, permisum tamen erit, ar-  
 gumenta, quæ pro contraria opinione faciunt,  
 salvo melius sentientium judicio ac honore, ad-  
 ducere & jure quodam cathedræ defendere, ut  
 deinceps forte in conflictu publico veritas in re  
 tam diffcili quasi ex profundo, in quo abstrusa  
 ac demersa est, protrahatur. Antiquis tempo-  
 ribus vasalli licentiam sibi sumsere feuda cum  
 alienandi tum subinfeudandi, 2. f. 9. pr. Imo ipse  
 Imperator Conradus Salicus vasallis indulserat,  
 ut eis alios subinfeudare liceret, utque subvasalli,  
 modo essent æque habiles, feuda in perpetuum  
 retinerent. 2. f. 34. §. 2. Hoc vero ulterius fieri  
 Lotharius Saxo & Fridericus Barbarossa Impe-  
 rato-

ratores, editis severis constitutionibus, prohibuerunt: 2. f. 52. & 55. quæ in Germania nostra in hac quæstione eo magis servandæ videntur, quo earum dispositio naturæ contractus feudalis est accommodatior, & quia constitutiones provinciales fere de hoc argumento silent. In primis ex constitutione Friderici, quam tamen in multis capitibus nimis duram esse, ideoque hodie non per omnia observari fateor, notanda sunt verba: se omnibus modis prohibere callidam machinationem, colorem, figmentum ac fraudem, ubi quis, pretio accepto, dicit se tantummodo investivisse alium, non feudum vendidisse. Ponitur vero hic venditio tantum exempli causa, nam donationis eandem esse rationem, nemo, puto, negaverit: in primis cum paulo ante in eadem constitutione vasalli non solum prohibeantur feuda vendere, sed etiam quocunque alio modo distrahere. Præterea notandum est, quod ab Imperatore additur, vasallos hosce dicere, investitoram sibi licere, quod ille negat. Nimirum vasalli pro se allegabant legem mitiorem Conradi, qua subinfeudatio permittitur. Verum Imperator respiciebat ad legem posteriorem Lotharii, expresse interdicentis omne commercium, per quod dominorum imminuitur utilitas: quibus verbis etiam subinfeudationem con-

contineri ac interdici, Fridericus existimabat, jamque nova sua constitutione interpretationi vasallorum, quæ ipsi mirifice elusiva videbatur, obviam ibat. Nihilo tamen secius eadem interpretatione, tanquam benignior & libertati vasallorum antiquæ convenientior, a plerisque maximi nominis JCtis retenta est: licet ipsi fateantur, dictis textibus 2. f. 9. & 34. jus antiquum recenseri, quod quidem negari nequit, ut vel ex rubricis apparet. Unde ipsi in aliis capitibus a jure ibi recensito deflectunt, & exempli caussa, extincto jure vasalli, extingui jus subvasalli concedunt. v. ITTER de feud. Imp. c. 22. §. 8. STRYK. Exam. jur. feud. c. 19. qu. 31. Regula itaque juris Longobardici novissimi hæc est, subinfeudationem esse interdictam: 2. f. 3. pr. & §. 1. quæ lex expressis verbis lata secundum principia illius. juris fundamenti loco utique ponenda est. Exceptio vero regulam in casibus non exceptis confirmans tum datur, si subinfeudatio sincere nec in fraudem constitutionum fiat 2. f. 9. pr. & §. 1. 2. f. 26. §. beneficium. Nam secundum constitutionem Friderici subinfeudationes cum fraude conjunctæ esse præsumuntur. Quis autem in hac quæstione in fraudem legis faciat, proclive est judicatu, si rationes constitutionis illius expressas intueamur: nam is in fraudem legis agere

D 3

dici-

dicitur, qui verba captans sententiam legis intentionemque legislatoris eludit. *L. 29. ff. de legib.* Nimirum hæc est intentio legislatoris expressa, ut familiae conserventur, nec descendentes vasallorum aliquando opibus exhaustantur, ideoque servitia subterfugiant. *z. f. 52. & 55.* Cum hac intentione quod pugnat, commercium omne vera alienatio, adeoque vetita atque illicita est. Nec filii stare ei tenentur: sed subvasallus, reddito ab heredibus pretio, si quod parens acceperit, feudum restituere tenetur. *z. f. 3. §. I.* Itaque tres in primis casus sunt, ubi subinfeudatio recte & constitutione Fridericiana permitente sine consensu domini & successorum feudarium fieri potest: si nempe res sit subinfeudari solita: si agnatus proximus prima investitura comprehensus aut simultaneo investitus in locum subvasalli assumatur: sique ager, qui alias in cultus erat relinquendus, alii tanquam feudum concedatur. Ita enim non modo seniori & familiae nihil decedit, sed etiam casu postremo promovetur utilitas publica, quam promovere vasallus jurejurando suo promiserat. Ex dictis patet, a facultate subinfeudandi ad facultatem fructus futuros permittendi extraneo posse quidem argumentum duci: sed secundum ius Longobardicum neutri facultati locum esse in præjudicium filio-

filiorum aliorumve heredum feudalium, licet si-  
mul sint heredes allodiales. Neque etiam in cu-  
riis nostris toleratur, ut exempli causa pater in  
præjudicium filiorum aut agnatorum de feudo  
aut toto aut ejus parte filiam aut nepotes ex ea  
subinvestiat. Neque regulariter in ipsis feudis  
Imperii, quamvis Statuum immediatorum ma-  
jor sit potestas, si partem subinfeudari non fo-  
litam jure subfeudi cesserint, successores stare con-  
ventioni tenentur, licet nihil impedit, quo mi-  
nus, si velint, sponte factum antecessoris fer-  
vare possint.

## XIV.

Denique objicitur a dissentientibus, fructus  
feudi esse allodiales, ideoque libere vasallum de-  
iis disponere posse. Ego quoque idem dixi de fru-  
ctibus, quos vasallus aut percepit, aut, dum vi-  
vet, percepturus est. Sed de fructibus post mor-  
tem ejus nascituris, nisi quatenus illi vel lege ex-  
pressa vel consuetudine heredibus allodialibus  
debentur, idem concedere neutiquam possum.  
Fructus enim hi sunt pars fundi, L. 44. ff. de R. V.  
suntque materia & objectum dominii utilis seu  
juris, quod habet vasallus, 2. f. 23. in f. dominium  
que hoc utile sine fructibus non magis existere  
potest, quam quæcunque alia forma sine sua ma-  
teria. CARPZ. P. 2. C. 38. D. 12. n. 7. & 8. & P. 3. C. 15.

D. 56.

D. 56. n. 3. Unde Pomponius scribit, si forte, usufructu legato, fructus adimantur, totum vide-ri ademtum. L. 14. §. 1. ff. de usu & habitat. Quam-obrem ego quidem nunquam intelligere potui di-  
stinctionem illam, qua dominium utile & usum-  
fructum a perceptione fructuum separant: STRYK.  
Exam. jur. feud. c. 8. qv. 19. id quod alibi idem ce-  
leberimus JCtus ita enuntiat, ut inter jus utilis  
dominii & facultatem percipiendi fructus distin-  
guat. c. 10. qu. 13. Unum idemque id esse, statuunt  
alii. VULTEJ. de feud. lib. 1. cap. 10. n. 57. BERLICH.  
Dec. 138. BITSCH. ad 2. f. 55. pag. 687. Nam verba  
legum dispositiva cum effectu capienda sunt: L. 1.  
§. 2. ff. quod quisque jur. cum leges non verbis, sed  
rebus imponantur, nec quod una via est prohi-  
bitum, alia concessum esse possit. Bene Scabini  
Jenenses A. 1624. pronuntiarunt, cui ususfructus  
competere non potest, illi nec competere posse  
commoditates. BERL. d. Dec. in f. Sequitur ex iis,  
quæ dicta sunt, eum, cuius feudum vidua defun-  
cti possessoris in dotalitio habet, aut creditor a  
judice immissus possidet, omnesque ex eo fructus  
percipit, ipso utili dominio ad tempus quoddam  
destitui. Cum vero in legibus Romanis aliquo-  
ties dicitur, usufructuarium etiam post venditio-  
nem uti frui, id ad jus tertii pertinere videtur:  
nam tum in primis Romani ita loquuntur, ubi  
de

de jure consolidandi, quod proprietario competit, agitur. Nempe jus usufructuarii non usu decem annorum interit, sed si venditum fuit, non præscribitur: cuius rei Ulpianus & Marcianus L. 12. §. 2. L. 38. ff. *de usfr.* hanc rationem allegant, quia etiam qui vendidit, utitur fruitur. Clarius id ita expresheris: quia venditor neque animum derelinquendi usumfructum ostendit, neque negligentiam adhibuit, ideoque præscriptioni senioris non magis locus est, quam si ipse venditor adhuc utatur fruatur. Item ususfructus suo tempore modisque lege determinatis, exempli causa morte usufructuarii, licet cessionarius adhuc superstes sit, ad proprietatem revertitur: cuius rei itidem hæc ratio datur, quia jus remanet penes cedentem: L. 66. ff. *de jure dot.* hoc est, jus, quod habet proprietarius, æque firmum manet, ut si ipse cedens usumfructum retineat. Sunt similia exempla in aliis speciebus juris realis. Ita enim licet is, qui vendidit jus hereditarium, revera heres amplius non sit: L. 2. §. 9. L. 23. pr. ff. L. 8. C. *de hered.* vel act. vend. manere tamen certa ratione heres dicitur, nempe intuitu creditorum, qui adversus ipsum venditorem experiuntur. L. 2. C. eod. LAUTERB. Comp. Jur. t. *de hered.* vel act. vend. litt. E. Similiter qui dolo desit possidere, nihilo fecius intuitu domini possessor habetur,

E

quia

quia jus domini dolo illo non extinguitur. *Idem LAUTERB. t. d. R. V. litt. P.* Neque repugno, si quis dominium utile, facta cessione fructuum, penes vasallum manere intuitu senioris dixerit: quia hic nihilominus ab illo servitia postulare, & extincta familia cedentis, dominium consolida-re potest, *a. L. 66. ff. de iur. dot. ex capite præscrip-tionis autem, si non ipse vasallus, sed cessiona-rius ex illius tanquam autoris sui persona fructus perciptiat, consolidatione uti nebuit. a. d. L. 12. §. 1. & L. 38. ff. de usufr.* Ceterum uti doctores agnoscunt, eum qui dolo desit possidere, non esse verum possessorem *LAUTERB. l. c.* ita domi-num utilem quoque post cessionem omnium fru-ctuum non esse verum dominum utilem sensu feu-dali, concedendum est. *z. f. 23.*

## XV.

Sunt fortassis adhuc alia quæpiam, quæ a dissentientibus opponi possint, sed sunt exigui momenti & ex iis, quæ a me dicta sunt, dijudi-carri & confutari nullo negotio possunt. Inpri-mis facile responderi posse ad illam objectionem puto, si forte simultanee investitus in litteris re-versalibus, quibus in favorem filiarum vasalli sine consensu senioris fructibus feudi renuntiavit, cer-tam summam feudalem, einen Lehn-Stamm, sed sine

sine ullo onere, sibi reservaverit, & tum quis dicere velit, servitia a vasalli filiabus præstari posse per substitutum. Hoc enim manifesto rationibus rerum feudalium repugnat: nam personæ descendantium masculorum a domino electæ sunt: neque pacto cum simultanee investitis initio effici potest, ut ei servitia mulierum per substitutos præstanda obtrudere, feudumque masculinum, eo inconsulto, in fœmininum in effectu convertere liceat. Neque magis attendenda est illa objectio, quod iniquum videatur, si vasallus aut ejus ascendentes feudum magna vi pecuniae emerint, id omne postea solis simultanee investitis cedere, præteritis filiabus vasallo defuncto carissimis. Hoc enim voluit primus acquirens, qui naturam horum bonorum sciens emit, adeoque injuriam sibi aut descendantibus fœminis fieri, ne quicquam conqueritur. Si hanc æquitatem circa feudum pecunia comparatum sequi velint judices, sane futurum est, cum pleraque feuda ad familias possessorum hodiernorum titulo oneroso pervenerint, ut feuda & jura feudalia tandem subvertantur.

F I N I S.



GENEROSISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
CAROLO AVGVSTO REX

S. P. D.

JOH. WOLFGANGVS TRIER.

**N**ON indigebas præsidio quodam & adju-  
mento in tuenda dissertatione Tua, quam  
ita a Te consecrata, ut & felicis ingenii  
& singularis industriæ luculentum specimen edide-  
ris, publico conflctui destinasti. Ipse enim eam,  
si placuisset, præsidendo defendere poteras, postquam  
in jurisprudentiæ studium per complures annos rara  
hoc

hoc nostro tempore diligentia incubuisti, incitatus tum  
insita propensione atque ardore animi Tui, qui natura  
ad optima quæque fertur, tum exemplo Illustrissimi  
Parentis Tui, cuius memoria meritorum nunquam  
intermorietur. Primum in Academia Vitember-  
gensi per biennium jurisprudentiam omnem aliasque  
scientias, quarum egregia fundamenta illuc attuleras,  
multo studio atque eo successu complexus es, quem  
muli quinquennio, quod a Justiniano Imperatore  
exigitur, vix assequuntur. Postea in Lipsiensem  
Academiam delatus per annum unum cum dimidio ea,  
quæ Vitembergæ præclara didiceras, studiose repeti-  
sti ac digessisti, atque in examinibus quotidie fere in-  
stitutis, quibus Te a doctoribus Tuis interrogari vo-  
lebas, & ipse eos de argumentis majoris momenti  
interrogabas, confirmasti: ea, quæ in multorum  
JCTorum, in primis Pragmaticorum, scriptis affi-  
due legendo notatu digniora repereras, in libros ex-  
cerptorum Tuorum contulisti: præterea actis judi-  
cialibus cum cura perfectis, in relationibus & sen-  
tentiis conficiendis Te exercuisti: privatis etiam  
disputationibus ingenii linguaeque facilitatem ac prom-  
ptitudinem auxisti. Neque enim unquam Tibi ex  
animo discessit, parum eruditionem omnem prodeesse,  
nisi simul facultas atque exercitatio capiatur, ea, quæ

memo-

memoria & iudicio comprehenduntur, & calamo &  
lingua apte nervoseque proponendi. Sciunt hæc  
omnia ii, quorum in Academiis institutione usus es:  
reliqui ejus rei documentum in dissertatione Tua  
videbunt. Reddo igitur Tibi specimen hoc Tuum, &  
quod ex responsionibus Tuis ad questiones juris in  
Collegiis a me propositas & ex privatis disputandi  
exercitiis, me moderante, a Te habitis novi, simul  
auguror, fore, ut illud, quamvis in cathedra in-  
feriore, responsionibus tamen superiore dignis de-  
fendas. *Quod supereft, precor Deum, velit ulterius*  
*cæptis Tuis omnibus ita favere ac benedicere, ut iis*  
*Divina gloria, salus Patriæ, & Illustris familie Tuae*  
*ornamenta promoteantur atque augeantur. Vale.*

Dabam Lipsiae d. xxiv. Julii

M DCC XIX.



KL 678

X23693/11

NC





B.I.G.



DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
TRANSMISSIONE  
FRVCTVVM FEVDALIVM  
IN HEREDES ALLODIALES,

QVAM  
CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

SVB PRAESIDIO

D. IOH. WOLFGANGI TRIER,  
HERALDICAE P. P. IN ACAD. LIPS.

A. ET R.

CAROLVS AVGVSTVS REX,  
EQVES MISNICVS,

IN AVDITORIO ICTORVM D. III. AVG. M DCC XIX.

PUBLICO EXAMINI EXPOSVIT.



FRANCOE. ET LIPSIAE, REC. M DCC LI.